

num et coronam, regalis fastigii succedentibus, labores continuos, expensarum honora et servitia indefessa, pro exaltatione regii culminis et honoris, pro reintegratione et augmento reipublicae, ac reformatione pacis in regno Hungariae praedicto, in diversis expeditionibus ipsius Patris nostri, et nostris, ductor exercitus existens, potissime in conservatione confiniorum et recuperatione terminorum regni nostri Hungariae praelibati, tempore sanctissimorum Progenitorum nostrorum, olim illustrium regum Hungariae, in conterminis regnorum Austriae et Bohemiae limitatorum, et demum ipso regno nostro Hungariae suo naturali rectore destituto, nec habente in se, qui suae aequitatis habenas recto tramite gubernaret, penitus ad dicta vicina regna nequitiose occupatorum, cum effusione sanguinis sui, et quam plurimorum proximorum et servitorum suorum caede, fidelissime exhibendo, prae aliis regalibus nostris famam pollentem, et nomen ducebat gloriosum, de ipsius industria et legalitate confidentes, adiuncta sibi gentis multitudine, in praedictum regnum nostrum Siciliae, ut seductorum nequitia extirpetur, tyrannorum puniatur crudelitas, perversorum compescatur temeritas, praesumptuosa refrenetur audacia, malorum evellatur perversitas, superborum consterneretur elatio, et elatorum cornua deprimantur, fideliumque et bonorum sinceritas clarius elucescat, duximus destinandum. Qui quidem Stephanus Wayvoda, postquam fuisset in Fogya, praefatum Ludovicum de Tarento, nostrum hostem publicum et regni nostri Siciliae invasorem, et sequaces suos in civitate Luceriae, districte, fortiter obsedit, idemque Ludovicus timore magno perterritus, et angustiis undique circumdatus, gentis suae, et salutis suae prope desperatus, de dicta Luceria civitate discedens, versus civitatem Exculii volens pergere, ante ipsum Stephanum Wayvodam vix vicinam civitatem Troyae attingere valuit fugiendo, praedictus vero Stephanus Wayvoda, ut prudens vir, volens in cepto proposito publicato in actu praeponere necem vitae, priusquam ab incepto ignominiose desistat, ipsum Ludovicum de praedicta civitate Troyae, cum sua gente, cum Banderiis seu vexillis explicitis, versus praedictam civitatem Exculii in convallibus iter arripientem, invasit, et cum ipsa gente Ludovici praeliavit, in quo praelio, sicut Domino placuit, victoriam sibi iustitia ministravit, et praeter occisos et vulneratos ad mortem, trecentos equites captivavit, vexilla Ducis Vernellii, Domini Nicolai de Acherolis, Domini Philippi, dicti mali spiritus, Domini Joannis de Turgonia, et alia tria connestabulorum Corporalium seu Nobilium apportavit; praedicti vero Dux Vernellius et Dominus Nicolaus de Acherolis, cum multis aliis, per multa personarum pericula viribus equorum suorum perffulti, de manibus ipsius Stephani Wayvodae incogniti vix evaserunt. Dampnificata itaque gente praedicti Ludovici et praedicta perditione, sequenti die idem Ludovicus sub silentio noctis auffugit de ipsa Troya in civitatem Exculi praenotatam, et demum nonnullis diebus transactis idem Stephanus Wayvoda praefatum Ducem Vernellium cum quingentis armatis societati ipsius Ducis Vernellii adiunctis in civitate Corneth captivavit. Post haec cum idem Ludovicus aggregata sibi gentis multitudine appreciatae, et compluribus regni nostri Siciliae infidelibus in suam societatem applicatis, confidens in gentis suae multitudine, ipsum Stephanum Wayvodam cum tota gente sibi adiuncta, in contumeliam nostri regii honoris penitus exterminare cupiens, et animo desiderans anhelanti, ante civitatem Neopolitanam in area ad certamen belli prius per ipsum Stephanum Wayvodam in contrarium ipsius Ludovici praeparata, belli certamen commisit, ubi idem Stephanus Wayvoda zelo